

## LEXICI ARABICO-LATINI.

bica pauci adhuc dum judicare potuerunt, quod in paucorum manibus liber hæserit, sed facile mihi persuadeo aliquantulum tractatibus eandem aliis se daturam, aut prodituram aliquas virtutes, at majora vitia, & giggæi non minora. Quid enim non latere ibi potest farraginis errorum, ubi sub nomine synonymorum sub unam vocem latinam aliquot arabicæ referuntur, cum in nulla lingua revera synonyma sint, minimè omnium in arabica: ubi quemadmodum diversæ literæ diversam novâque formam efficiunt & componunt, ita vel unâ literâ adaucta vox arabica, ab illâ simpliciori aliquid separati, novique non ut synonymum significat. Quâquam nos & ipsi angamur animi, non posse pro unaquaque voce arabicâ vel unâ literâ auctiori novam vocem latinam reperire: cogiq; quodammodo eâdem durâ lege, multis vocibus derivatis unum reddere, latinum nomen; quod non potest nisi uni bene convenire, cæteris omnibus non nisi impropriè. tanta penuria in tantis divitiis aut latii aut arabicæ est latinarum vocum. Hoc tamen inter nos & illos intererit, quod nos primo singulis radicibus significationem idealem, primam, generalem, propriam atque æternam reddamus: licet deinde nequeamus idem quoque præstare derivatis inde ortis, quod multa sæpè unâ voce contenta, sæpè pluribus ornata, sæpè multis & plurimis onusta erant: nec quod melius discerni queant, quam ubi applicanda significatio præsentî loco, materiae, & necessitatî orationis: habito respectu ad antecedentia & consequentia, quæ nisi obseruentur, licet milles significationes habueris singulis adjectis vocibus, non clarius tibi fulgebit sensus. Ita ut tuum, lector, ingenium hic sit in enucleando sensu primum idemque ultimum. Hic elegantissimus locus explicandus venit, non obiter à nobis, aut vulgariter tractandus: in quantum scilicet lexicorum usus se commendet: in quantum illa prosint apud cordatum eruditumque virum: & quid juvare consulentem queant, in enodanda textus significatione. Igitur cum hujus caussa videantur lexica conscribi, ut consuli à quocunque possint: mirum tamen est, quando res probe pensatur, & ad calculum recte sedere velit ingenium humânum accepti ab ipsis beneficii, quam parum præstent; & quomodo tot illorum virtutes à consulente solo dependeant: mirum, & quam mortua res sit pro danda vita textui autoris, imò tenebras ip-